



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Cavssini Trecensis E Societate Iesv, De Eloqventia
Sacra Et Hvmana**

Caussin, Nicolas

Coloniae Agrippinae, 1626

Alia pars amplificationis per μερισμόμ. Post reditum ad Quirit. Capvt XXVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68724](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68724)

quem biennio ante filia sua nubenti strauerat, in eadem domo sibi ornari, & sterni expulsa, atque exurbata filia iubet. Postremo nubis genero socrus, nullis auspicijs, nullis auctoribus. Quid restabat nisi exclamationis fulmen. O mulieris scelus.

Amplificatio beneficij accepti, per comparata, adiuncta, & partes, ad Quirites post reditum num. 5.

CAPVT XXVI.

Comparatio, & antitheta.

Parentibus, id quod necesse erat, paruus sum procreatus, à vobis natus sum consularis. Illi mihi fratrem incognitum, qualis futurus esset, dederunt, vos spectatum, & incredibili pietate cognitum, reddidistis. Rempublice illis accepi temporibus eam, quae penè amissa est: à vobis eam recuperavi, quam aliquando omnes vniuersi opera seruata iudicauerunt. Dijs immortales mihi liberos dederunt, vos reddidistis. Multa praeterea à Dijs immortalibus optata cōsecuti sumus; nisi vestra voluntas fuisset, omnibus diuinis muneribus caruissemus, vestros denique honores, quos eramus gradatim singulos assecuti, nunc à vobis vniuersos habemus, vt quantum antea parentibus, quantum Dijs immortalibus, quantum vobis incipis, tantum hoc tempore vniuerso cuncta populo Rom. debeamus. Nam cum in ipso beneficio vestro tanta magnitudo est, vt eam complecti oratione non possim, tum in studijs vestris tanta animorum declarata est voluntas, vt non solum calamitatem mihi detraxisse, sed etiam dignitatem auxisse videamini. Non enim pro meo reditu, vt pro P. Popilij nobilissimi hominis, adolescentis filij, & multi praeterea cognati, atque affines deprecari sunt.

Hac ratio augendi per antitheta pulchra est, & suavis, adduntur etiam adiuncta, scilicet in largiendo beneficio, alacritas, & cetera.

Alia pars amplificationis per *μεγιστόν*.

Post reditum ad Quirites.

CAPVT XXVII.

Partium enumerationis.

Quid dulcius hominum generi à natura datum est, quam sui cuique liberi, mihi

vero, & propter indulgentiam meam, & propter excellens eorum ingenium, vita sunt meo cariores, tamen non tanta voluptate erant suscepti, quanta nunc sunt restituti. Nihil cuiquam fuit vnquam iucundius, quam mihi. meus frater, non tam id sentiebam, cum fruebar, quam tunc cum carebam, & postea quam vos me illi, & mihi eum reddidistis: Rex familiaris sua quemque delectat, reliquae meae fortunae recuperatae, plus mihi nunc voluptatis afferunt, quam tunc incolumi afferbant: Amicitiae, consuetudines, vicinitates, clientelae, ludi denique, & dies festi, quid haberent voluptatis, carēdo magis intellexi, quam fruendo. Iam vero honos, dignitas, locus, ordo, beneficia vestra, quae quam mihi semper clarissima visa sunt, tamen ea nunc renouata, illustriora videntur, quam si obscurata non essent. Ipsa autem patria Dijs immortales, dici vix potest, quid caritatis, quid voluptatis habet, quae species Italiae, quae celebritas oppidorum, quae forma regionum? quae agri? quae fruges? quae pulchritudo vrbis? quae humanitas ciuium? quae reip. dignitas? quae vestra maiestas? quibus ego omnibus antea rebus sic fruebar vt nemo magis.

Viden vt singula quaeque commoda minutatim, sine tamen vlla sermonis ignobilitate, aut rerum obscuritate discutiens, amplius effecit orationem. Si quidpiam hic humile fuisset interpositum, corrupisset eloquentiae grauitatem, quod fatuus quispiam fecit in veteri poemate, qui Elysiarum camporum voluptates commemorans Solem, & cucumeres dixit esse illis periuicundos. Quae cognatio Cucumerum, & Solis. Deinde, cuius ingenij est nobilissimis voluptatibus Cucumerum etiam inferre.

Amplificatio rei calamitosi per gradationem, & hypotyposin, &c. pro Quinto. nu. 95.

CAPVT XXVIII.

Miserum est exturbari fortunis omnibus, alijsque miserius est iniuria. Acerbium est ab aliquo circumueniri: acerbium à propinquo, Calamitosum est bonis eueri, calamitosius cum dedecore: Funestum est à forti, atque honesto viro iugulari, funestius ab eo, cuius vox praecoris quaestu prostrit. Indignū est à pa-